...irus Florianus
...ensis.

Racki Joannis: Cursus honoris Illmi Principis
Cas. Flor. Czartoryski etc.

CVRSVS HONORIS.

Illustrissimi Principis & Rñdissimi Dñi,

D. CASIMIRI FLORIANI

DVCIS IN KLEWAN,

CZARTORISKI.

EPISCOPI POSNANIENSIS.

In Primo suæ Cathedræ ingressu,

Ad felix fortunatumq; Auspicium.

A

M. IOANNE RACKI Philosophiæ Doctore, & in Alma Uniuersitate Cracouień. Professore, Collegij Minoris, Poëticæ Ordinario.

Debiti Cultus & Obseruantiæ ergò

ADVMBRATVS.

Anno D. M.DC.LI. Die 7. Maij.

CRACOVIÆ,
In Officina Christophori Schedelij, S.R.M. Typ.
Anno D. 1651.

In Arma
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS DUCUM CZARTORISCIORUM.



QVid Gladij? strictæq; Cruces? Cataphracte quid vltro
Quadrupedante nouum Marte reuoluis opus?
Vt video, Bello hæc Arma, atq; Armenta parantur.
Sed quæ Pacificus Prælia, Pastor amet?
Bucephalum, ergo sciens, Macedûm dominator Equorum,
Edomat, vt Darij Persica Castra domet!
Vel quoq; Pegaseo ductu Bellator in Hydram
Bellerophon, Bellum pro Pietate parat!
Quidquid id est; benè in Arma Cruces, Gladijquè, rotantur
Ecce Virum hunc Virtus baltheat ipsa sibi.

Joannes Carolus Daniłowicz, Capitaneus Parczouien. in Acad. Cracou. Philosophiæ & Eloquentiæ Auditor.

Ad Illustr. & Rñdisṡim̃ Dñum,
D. EPISCOPVM POSNANIÆ.

PRÆFATIO.

VIam Tibi præire parabamus Comites Ingreſſus Tui Illuſtriſsime Princeps, ſed æmulo gloriæ paſſu currere, & tam grandibus inſtare veſtigijs quis poſſet? Recogitabamus ſtupendum illum Curſorem, Theodoſij Palladium, cui æquè illud Romani, ac Orbis Terrarum, Imperium triduo peragratum eſt: Prometheum quoquè vltra fidem humanam, pertigiſſe audiebamus, vt ex Solis redundantia aliquam Diuinæ particulã auræ deriuaret: dignos Ioue Olympio ſpectatore Antagoniſtas, inter alia miracula cum mundo mirabamur, tantiſper: Sed nec Palladius, qui ad Septemtrionem noſtrum cùm potentia Romana vix aſpirauit, ad ingreſſus etiam Tui vix admitti poteſt comitatum: nec Prometheum vltra Fabulas, quibus innititur, euocare licet: Gymnicos deniquè vel in Gymnaſia ſua ab hoc Curſu relegamus Curſores. Illis à calce ad Columnam, à qua Tu incipis perueniſſe ſufficiat; vt intelligat Polonia, multos currere qui-

 dem,

dem, ritu gregario, Te duntaxat egregium mirabili Cursu Tuo, vnicè brauium comprehendisse. Quidni verò vt comprehenderes tam sublimem Tuum animum, & tot decorum capacem, in profanis Aulæ Curis, currentem, exerceri oportuit? Rarũ id sanè viderit hac tẽporum tempestate Polonia, sed quia raris, Ecclesiæ prouocatam laboribus, dignationẽ Regalis affectus, indignari desinat necesse est. Ergò dùm & Nos, quò ipsi non possumus, Honorem Tuũ & suum currere Cursum expedimus, non mirêre Princeps. Peragrauit pridem ille Encyclopediæ stadium vsq; ad Laureã, & cur metuamus eum deficere posse in via, qui planè triumphali nomine Romã in studio impleuit, Cracouiam in stadio Cathedrarum recreauit? Lætetur igitur Lithuania, quæ Te Ducibus suis, magnum, Romanæ Antiquitatis Columen in Auito conspicit Honoris Templo. Gaudeat Polonia, quæ Vnionis, suum intra sinum, vnicam hac posfidet gemmã. Gaude Princeps; quia iam fructus Tuæ virtutis maturuit. Ego dum pedetẽtim ex primordijs Lithuaniæ Tuum vestigans Honorẽ, de tenebricosis, (quæ Natura Styli est) Parnasfi recesfibus, eũ adumbro: Tu solito Tui Nominis, splendore vmbras eius disserena, & Faue loquenti.

I.
DA VIAM POSNANIA.

Tuæ fasces Dynastiæ
Hyerarchicus sacrorum Rex occupaturus,
Latè per altos ingreditur splendores
DVCALES, DOCTORALES, PONTIFICALES.
Tam rarum Viæ & Vitæ Comitatum
Ecquando sperauit videre Polonia?
Nisi vt olim, Regium fuit Seruos habere Reges,
Sic Reginæ Virtutis sit,
Comitem sibi Fortunam in Gynecæo suo efficere pedissequam?
Proinde sterne Iter Honori Principis,
Exultauit vt Gygas ad currendam viam.
Et Pedo subnixus Pastorali,
Velut à summo Cælo egresio eius
Secum principium, in die virtutis suæ, feret.
Felix qui sic suum Cursum potuit maturare!
Nullos posthac ex Fastis æternitatis,
Cæli vel Terræ filios, iactabit Antiquitas,
Pridem hos, & Noctis aut Diei partum Abortumque,
Ex Genesi rerum amisimus!
Silete Fabulæ.
Cum Deus, & melior mundum Natura recrearet,
Quisquis fuit ille Deorum,
Qui ante Luciferum Fidei, Sarmatiæ huic Septemtrionali.
Romanos rerum Dominos,
Cum principio suus attulit Antiquarius.

 Hic De-

Hic Deus Terminus. A Qvo
Capitolij immobile ſaxum ſtetit,
Cum in Exauguratione Tarquinij nollet hic in Terras.
Ceſsit huc ad polaris Poloniarum Imperij, metas, ſtetitque;
Lapis liber, exciſus ſine manu hominum,
E Ruderibus, ferrei Imperij, exemptus,
Hic ad grande myſterium, Hic Columna ſtetit!
AVDISNE POSNANIA?
Genus hoc à ſtirpe Deorum eſt!
Cui Deus haud fines rerum, nec tempora ponit,
Imperium ſine fine dedit per ſecula,
De petra Capitolij in Caput Capituli Tui
Vt lapidem angularem accepiſti!
Ecquam maiorem Hierarchico muneri optaſſes eminentiam;
Quàm quæ, ab vni, ſecunda, Cælo
Vrbe Orbis Regina
Inter Ancylia Tibi velut Palladium diuinitùs datur.
Vide maiorem Te Poloniarum non immeritò dici
Quæ tam Magnæ deſtinaris domicilium Amplitudini
Habe vbi virtus Principis excurrere, cognoſciq; poſsit.
Nec BOLESLAVS duntaxat Tuus
Vt ille ad Gades vetus mundi Horizon
Triplici Te Columnarum limite circumſcripſit.
ET PLVS, ET VLTRA EST.
Quo Tibi nominatus Princeps viam prætentat.
Admiranda Fatorum Clementiâ, Gentilitijs Columnæ Honoribus illuxit!
Vt Te de regione vmbræ mortis, per deſerta ſecularium
Vel vltrà nubes ardens Columna deducat.
Caue quiſquis lapis offenſionis, & petra ſcandali es,
Ad hanc Columnam nunquam accedes quin exorcizeris!
Equidem
Vſitato Gentis myſterio, Lechica Gens,
Campo Coronam figimus ardua in rupe.
Rex olim, priore, quiſquis ad ſua Regna; curſu
Et ſtuporem omnium excurrit.

Etcùm

Et cùm sine scrupulis
Omine secundo, Lescum, Lechitæ, suscepimus à Columna
Ad felix ingredientis seculi principium.
Ab hac etiamnùm
Prægnantibus, in festas acclamationes Votis:
Libet auspicari & occinere Principatum.

SIc sic! Regales, inter nutrita Coronas,
Quàm benè, Regificis insignibus Ottho probauit,
Præcincto de more Chrobri Diademate, & exhinc
Cognita Lechiaco splendes Posnania Campo.
Cognoscas quid rite venit? quod cælitùs æther
Demittit Latiale Genus? decus omne Tiararum
En redit, vt Pastor, redeunt sua sæcula Famæ;
Nomen eis, nullo posuit Natura metallo.
Szołdrscianis orbam Manibus, fractamq; Carinam,
Ingemuit ferale videns Ecclesia, moxquè
Nè sua consuetis fraudentur Ouilia lustris;
Flebilis, ætherei, genibusq; affusa Tonantis:
Præsuleum, dignare (inquit) Pater Optime munus
Supplere: interiùs, lachrymis, solamen obortis:
Audijt Omnipotens, iubet in suffragia mitti:
Hic etiam obsequitur, venit eminùs instat & vrget
Desertas agnoscit oues, reficitquè virili
Obsequio, Tibi Posna fauens. Venerare Curulem
Quæ Tibi portat, eburna Patrem, complectere dextrā
Quâ mox Clauigeri postes pandentur Olympi,
Nosce Tiarati Capitis sublime, Cathedram
Accedas, vocemq; Tui Pastoris adora.
Hic vir, Hic est Tibi, quem promitti sæpiùs audis!
Nuper honorato splendore beatior, & iam
Imperij manifesta Comes fulsisse videris:
Sanctior, ast isto noua comparebis amictu!
Cum Tua vittatis velabit tempora cyrrhis
Infula, Romuleis Pastore innixa Columnis.

II.

O H E!

Vt ad Columnam peruenimus.

Hinc etiam currendum eſt.
Quicunquè Sceptris fiditis; vt fragili bono!
Quiſquis inflatus, pulmonem rumpere ventis, velis
Stemmate quod Thuſco ramum milleſime ducis;
Te videat Princeps & Te Roma!
Non alio vſquam amplior Orbis
Terrarum Imperio ſtetit fulſitquè!
Virg. Aen. Ilium in Italia refloruit, victi Penates reuixerunt.
Illic Regna reſurgere Troiæ, fatis debita,
Horatius. Vidit nec inuidit Orbis Iunonius.
Eheu? vidiſtis Superi Orbem in Vrbe totum!
At exactis Româ Regibus
Vbi proſperaretur illa Regnatrix Natio feliciùs?
Quam hic? vbi ſpontè ſua captiua, parens Libertas
Inter flores campi ſuæ Campaniæ
Certiùs germinat Reges, quàm Thalami & Throni?
Effugit igitur Regnatrix Stirps crudeles Terras,
Execrata auditam, olim falcem Tarquinij,
Omne quicquid Excelſum eſt,
Demetere vel in horto non parcentis!
Votum Caligulæ, vnam Ceruicem omnibus imprecantis
Verè deriſit magnanima;
Erubuit ad multiplicata pluries Patribus
Parricidia Neronis.
Vna voce ſua deleri Senatum Orbis poſſe
Impotenti potentiâ gloriantis.
Poſt licitatam Marti Pharſaliam
Poſt cruentata ſanguine Ciuili maria,
Vbi ad Rubiconé Iacta Alea eſt & Patriæ occurſantis imago.
Cic. 1. Offic. Ambitioni inſatiabili
Regnandi causâ, Diuina Humanaque omnia violanti
Nil eualuit ad recordationem Mortalitatis,

Fortu-

Fortunæ libidini? vel Ei, ſuam crederent ſalutem?
Qui inter procellas maris ſæuientis
Et Nautas, & Maria, & Fortunam, fatis ſuis iuſsit obſecūdare!
Si Cato inuidens eius gloriæ
Licet adhuc pretium fieret ſeruituti;
Sponte maluit abire ex vita; nec pulſus eſt.
Truculentiam poſterorum
Et grauiorem Tyrannide Cæſarum ſuperbiam
Quî tandem ferret Cæſarinus & ipſe? Stricouius lib 1.
Proſper Hic,
Vel dum Oracula ceſsârunt,
Duce Teucro & Apolline Teucro
Reſponſum tulit felix ex adytis,
Quatuor his affatus Amicos:
Quo nos cumq́ue feret melior Fortuna parente
Ibimus ô ſocij comiteſq́ue,
L' Italiam, ſuper Orbe noui, clamemus Achates;
O fortes maioraq́ue paſsi
Mecum ſæpè viri! nunc nunc diſpellite curas
Cras ingens iterabimus æquor:
Quocirca ſic ille ad Nemenum Typhis.
Tu verò quidni occinis
Soſpitatrix Heroûm Lithuania
Ad Parodiam Horatij; Tuum Celeuſma?

ET ſic Paterni Tybris ab æquore
Curretis Hoſtes? currite Dardani
Ciues, Triumphatumq́; veſtris
Imperium, reparate gazis.
O prouidentis filia Conſilî!
O Fauſtitatis Nomen, & Otij!
Regina Libertas, Auitæ
In Patria melior Magiſtra
Felicitatis! Quæ precor extimos
Afflauit iſthinc aura Fauonios

 Vt àre-

Vt à relicto seculorum
Imperio; per amæna Tempe
Deserta, Balthi in Cærula Nerei,
Prænauigantes molem Aquiloniam,
Per Regna ventorum, per vndas;
Huc ad Hyperboreos Triones,
Iretis vltrò? Prosper ades Tuis
Vicine Lybo, prosper in obuiam
Dorsprungus, ac Vrsinus, vltro
Stricou. Ibidem. *Hectoreis animatus ausis.*
Saluete Ciues Orbis, & Imperî
Testes Columnæ! Nunc speciosiùs
Aspirat, applauditq́; noster
Italicis Aquilo carinis.
Io Argonautæ velleris Aurei
Hic hospitali mente, Penatibus
Celeusma Lechi concinetis;
Crescet ab his noua Roma Cæptis.

III.
AGE VERO CYMBRICA.

Gepidarum Chersonesus.

Ioue frigido ad Martem calidum armata;
Exijt qui seminat, seminare, verbum.
Maledictam Terrã in opere suo, per tribulos & spineta non probes Cymbrorũ.
Cælum non animũ mutant, qui trans mare currunt Marij;
Ad eradicandas Barbariæ stirpes,
Vltra ordinem, & Fastorum memoriam.
Septies, de Consulatu; Tibi, suo consulturi.
Licet non vbiuis, nec ex omni ligno, Mercurius enascatur
At vbiquè Columnarum, quia prosper, status exurgit,
Immò transplantatione viuaciorem omnis humus suscipit.
Quidni verò complectatur?
Veritatis hæc, non Historiæ vox est

Indura-

Indurati ſuo Cælo Lithuani
Duce Vitene, ita virtutem Polonam exercuerunt;
Vt ſæpè par non eſſet!
Lithaones, Mendulphos, Troidenos,
Fruſtra quærimus, vel querimur de monumentis Paprocius ſub Pogonia.
Cum rudi ſeculo, ſuis adhuc præeſſent Syluanis.
Mirum; ni degenerarent in Faunos!
Qui Dryades Napæaſque, non Muſas habuerunt.
At vero vel incipienti ſeculo
Non immemores Libertatis fuêre,
Qui inter munia virtutis Electionem poſuerunt;
Par Dignitas eſt Regnare, & Eligere,
Non ex licentiæ genio regnaturos, ſed ex eligẽtium arbitrio
Vere rectos Reges:
Illud Regum fuerit? hoc nonniſi eorum, qui
Reges Regum dicuntur, & ſunt.
Te ego Raymunde Lithuaniæ Dux,
Non erubeſcam dicere Dictatorem
Qui ad ſummam Patriæ poteſtatem ſeruandam,
Magiſtrum Equitum, Tibi dicere elegiſti
In Vitene Lithuaniæ vitam; Paprocius Ibidem.
Septemtrioni vites, quod Anacharſis negaret, implantaſti
Vt de ligno vitæ, nos palmites prodiremus.
Rex Hominum idem, Phæbiq; ſacerdos, eſſe dignoſceris;
Et quid Romæ inuidebit Lithuania?
Si, vt Numa Ancum Martium, Tu Tibi ſubſtituiſti Vitenem!
Et Hic (exclamet nunc Encomiaſtes Romanus) Hic
Erit Scipio ille: Florus lib. 2.
Qui Virtutis Templum ante Honoris exſtructurus,
Vt vt illiteratus, iteratis tribus Columnis
Lumen ad reuelationem Gentis creſcet!
Quem enim alium Gediminum Vitenis dicam?
Niſi qui Gedeon Lithuaniæ nuncupetur?
Fortiſsimus ille Virorum,
Terruit Crucigeros in Olgerdo,

Saluauit Hic Lithuaniam in Iagellone,
Deus quidam Salutis eius,
Qui bissenos ei Principes prouidit.
Vt Pantheon olim Gentilismi Lituania,
Quot Viris, tot Columnis, Apostolicis
Suam securitatem fulciret & salutem.
Poloniæ verò quidni Gedeon Gediminus?
Alter Hic in Nepotis Metempsychosi MIECISLAVS,
Excisis Lithuaniæ lucis, margaritam inuenit
Et vnionem IAGELLONIS thesaurizauit nobis.
Næ Tu insanis Vlrice! dum habenti cor & manus;
Mittis gladios Regi.
Commeatus Hic virtutis, & viaticum est.
Quem panem opprobrij ad saturandum putasti,
Vbi in Castra Polonorum voluitur,
Vel ex supino Superbiæ somno diuinans
Dei & Gedeonis gladium sensisti.
Audimur iam Poloni!

ERgo sollicitas mittite Nænias,
Post desueta trucis, iurgia prælij,
Vnitas, meliori
Gentes, auspicio damus.
Gemmas? sic; an obrizum? an socialiter
Irretita Tagi diuitis Atria?
Lechis dilapidauit
Lithuanæ vnio dexteræ.
Felix Lechiadum Posteritas? Tuis
Felices Litaui consilijs vigent:
Coniurastis amicè
Seclis viuere in omnibus!
De Vitene sile: nam Iagelonicæ
Antiquum obrueret, pondus Adoreæ
Pro & contra generosis
Pugnax consilij modis,

Magnæ

Magnæ illi fuerint, fulcra potentiæ
Magni? & conspicuæ robora gloriæ;
Æternis celebrabunt
Te Te Lechia laudibus.

IV.
TANTIs ORTI MAIORIBvs.

Ad Sagi & Togæ Decora
Quibus tandem non inclarescerent ornamentis decori?
Non alibi Heròas, aut Velleris Aurei Argonautas,
Nec alibi Belli, & Pacis, Artibus instructos Bellatores,
Nec ex equo Troiano quæreret vetustas!
Quidquid splendoris & gloriæ secula viderunt,
Quidquid Amplitudinis Sol & Orbis adorauit,
Quidquid mortalibus Immortalitatis
Concedi Fas & Iura sinunt,
Gedimini Olgerdus filijs duodecim; Principibus,
Mundi bono effusis
Iagellone quem præ cæteris dilexit Poloniæ, dato,
In Nepotibus Abnepotibusque suis vniuersalis,
In Septemtrione verus Patriæ Pater;
Ad Terræ Cælique inuidiam
Publicæ totius Europæ felicitati dedit.
Itum est exhinc in sæcula,
Non infæcunda virtutum, non sterilia Principum,
Prouocata ad Contentionem Antiquitas, ostendit,
Nihil interesse Virtutis
Italusnè an Lithuanus, sub Polono libero, an sub Alemannio Cælo, bello & pace quis,
Mundum seruaret.
Quinam illi Sarmatiæ Bellatores putantur?
Quos ad Barbariæ ruinam prouidit DEVS.
Quasi limitem exponere vellet;
In quo Murum & antemurale Christianitati, ædificaturus

Columnam è ruderibus Romæ labentis, substrueret Basim.
Prætereantur, quæ præteriri, nefas
Iagellonicarum Pyramidum miracula,
Quos maiores Hercules vel Hectoras audiuit mundus?
Illis Georgijs, Ianussijs, Sigismundis,
Alexandris; Fedoribus? cæterisq; sexcentis,
Diui boni! virtutum non Hominum Nomina!
Quos ad Constantiam virtutis Gentilitiæ,
Constantino illi CZARTORISCIO Duci
Enixiùs virtus Mater effudit.
Quibus melius Astris illuxisset?
Luceoria, Kijouia, Volhynia, Liuonia,
Adeoque tota Russia, longè latèque patens,
Quibus dextris suam securitatem credidisset tutiùs?
Quam his, quorum custos Imperij cataphractus,
Clypeatus signo salutis, & excubitor perpetuò
Regali sanguine & Prouidentia
Contra Barbaros equitaret!
Libet hic exclamare, non inuenustum venusini Acroama

EN ô Deorum, quisquis, in Cælo regis
Terrasquè nutu dispicis
Quid iste fert concursus, aut quid vberè
Effusa cornu Copia,
L' Italica, seuit Principum, iuga sanguine?
Lucina quænam interfuit?
Olgerde felix sobole! Te Lithaùùm Patre
Florent vbiq; Principes
Germina Nepotum præuia, Tibi viam parant
Beatiorem Priamo.
Aspicio Iageloniaut Saturni secula
Ventura, vates præscius
Quem seculis scripsit virum constantia
(Lubarte cede Patruo)

Stabi-

Stabilita Regum seculis, fert vincula
Æternitatis æmula;
Cætera Ducalis, Decora & astra, Purpuræ,
Mundi; Deus Rex prosperet,
Vt sempiternis floreant Consensibus,
Fraterna Regum brachia.

V.
ECCE VERO.

Ne Paternis tantùm trophæis Patria Ducisset,
Materno omnes complexuri amore Pastoris
In vinculo Ecclesiæ
Genium cognoscere Maternum Posnaniæ non licebit?
In Triumphum deductæ audistis Gentes Thraciæ;
Audi infida Valachia, ausculta Moldauia;
Montes Gelböé Cecorenses Campi!
Iam nec Ros, nec Pluuia, cadit super Vos
Ex quo sanguine Ducum Nostrorum ebrij
Erubescitis hucusquè!
Quî enim à Linea Materna CORECCIOS Duces
Quî WISNIOVECIOS appellabimus alias!
Quam Corcula Poloniæ, extirpādo Machometismo fatalia,
Dextras eruendæ Barbariæ felices,
Florem & Robur Russiæ.
Vtinam prout in Campo felix inter hostes
Sic in Curia inter Inimicos non infortunatum!
Illustres animæ, magnumque in Nomen euntes
Fulmina Bellorum, Lechici Scipiadæ.
Non alia parmâ quàm pectoribus vestris Patriam texistis,
Pridem vix spirasset
Nisi toties ad eius spiraculum vitæ,
De vestro sanguine ei propinaretis salutem!
Eheu! discite Posteri vel ad inuidiam, vel ad exemplum, Virtutem incolumen
Quanquam nulla tam ingrata Posteritas erit

Quæ non in Capitolio Aeternitatis
Vestris Exuuijs Trophæa, ex hostibus, Opima affigat,
Nullæ tam immemores literæ,
Quæ ad Istrum vestro sanguine stagnantem,
Lethen obliuionis & non Hyppocrenen
Musis suis eliciant.

Immò iam elicit qui audit.

Quò me Fama rapis Tui
Plenum, quæ nemora, & quas agar in plagas?
Velox mente noua, quibus
Ab Wisniuecíæ præmia gloriæ,
Vel queìs Corecium iubar,
Occento populis? non ego Barbaros
Versu digner! Eheu Scythæ!
Eheu Bistonij fulgura prælij!
Lymphati Mareotico
Sitire ab Lechicum sistite sanguinem,
Frustra! Dum Thraciæ canis.
Surdis Dipsadibus surdiùs eiulat,
Nescit parcere fortibus
Quos scit conspicuam perniciem sibi.
Vis Visniouecíæ memor
Hausto Corecij corde virilior.

VI.
IAMNE SENTIS POSNANIA?

Quis, quomodo, & quem suorum prodromum
Princeps præmittit Meritorum?
Prima ei gloria de Roma est, sed non sola
Adiunxit Italicum; Septemtrionali temperamento,
Vt robur hoc Romanæ olim virtuti fomidandum,
Contra senium ætatis, tot sæculorum,
Quasi Cote fortitudinis exacuat ad splendorem.
Caue abhinc, plores orbata Ecclesia!
Implorasti non plorando Pastorem!

Immò

Immò non amissum exploras, quem rediturum vides.
Abire scilicet non obire visus est prior
Qui Institoris Tui Petri venientem de longe Nauem
Conscendit, vt inter Scyllas & Charybdes seculi,
Ad Insulas ascenderet Fortunatas.

Eheu!

Quas Epiphanias iterum? aut quas Primitias Credentium lustrabis Varta?
Dum inter primas nouem Ecclesias à Mïecislao conditas
Iordano Vrsino primùm Pastore possesso. Dlugossius in vitis Episc. Posn.
L' Italico nunc iterum obtingis Pastori?
In ore gladij Petri abundè
Quem Tibi Pontificis donum tulerat ille
Malchos Tuos compescueris hucusque
Veriùs ab Oliueto, & maioris misericordiæ
Gladius Ducalis Tibi à modo distringitur.
(Arma duntaxat dices?)
En Manus præstò aduenit.
Pogonia Cataphractus, Schismata persequi natus, assiduò
Si permiserit Dominus, Hæreses non fugiet sed fugabit.
Ecce pro Gloria Crucis
Si perduelles Christiani circumuenire parant,
Si equitem suum expedit Vicina Moschouia,
I licet vel loricæ impatiens est,
Tuus dupliciter Christiano Catholicus,
In hoc Signo vincat insignitus,
In quo Mors & Vita conflixerunt ad Trophæum!
Quoniam ergo in Triumphum suo quoquè præit Duci
Et super Cathedram, hanc Ducibus præsessam
Gratulabundus ille de Ducibus Lithuaniæ Ioannes
Cum altero Opoliensi & Duce & Ioanne,
Tertiam in Charitum consortium Gratiam inuitantes
Tuo obuiant ingressui Præduces. Dlugoss. ibidem.
Ne respuas Princeps, & Antistes Illustrissime, sequi Prodromos:
Vel si cæcos ad foueam credis Libythinæ,
Exhinc Tu intrans immortalitatis Prytanæum,

Eques ipso melior Bellerophonte, euola,
Tua ad Ingressum, stare loco nescia Virtus,
Infulatas auspicans Celsitudines,
In magnis Ducalibus Mitris præludet,
FAVSTITATI

Nam quis sacrato Dux prior agmine
Fastigiatis intret Honoribus
Ad magna vittatus Sacerdos
Pergama, Dux Casimire, Posnæ,
Posnæ, Tuorum grande Clientium
Ouile? Frustra niteris eminus;
Extenteratus mente Liuor,
Ad rabidos Phlegetontis amnes,
Abscede liuor, Tantalei satur,
Sititor oris. Te melioribus,
Fortuna prælegit fruendum
Auspicijs, generosè Candor
Cui casta docta nixa Scientiæ,
Laurus, sacriq; prodiga pectoris,
Morum coronato Senatu
Relligio, & pietatis ardor,
Applaudit vltro. Protinus euolet
Inter serenæ fulgura Gloriæ &
Magnæ rudimentum Coronæ
De tenero meditetur Ostro.
Jam iam Poloni vester amabili
Jlluxit ordo nomine! Discite
Ad Dignitatum altas Curules
Anteuehi rate Dignitatis.

VII.
GAVDE NVNC
Quisquis virtutem vel Rempublicam amas
Prælustre vtriusque Columen assurgit.

Iam

Iam ſacra illa & Regiâ merendi Via
In Atrium Honoris cucurrit Princeps:
Vt vt pompoſis nouiſsimus & Primus,
Solo virtutum ſeptus Heros Choragio,
Cum ſoli Deo & Vmbris Sanctorum ſuos adornaret apparatus
Quia videri magnus noluit
Repente Maximus illuxit!
Quid? Tuænè Princeps, an Poſnania Tuæ Cælum fortunæ fauit?
Nunc nunc Onus Angelicis humeris tremendum ingruet
Cuius pondere aliàs grauati
Ni quo paſcunt oues; ſuos greſſus fulciant Paſtorali
Parum abeſt quin lapſantes titubent Paſtores.
Et quî Tu tandem tollere velles
Si non DEO, Patriæ, Eccleſiæ,
Vel ab Atlante mutuatis lacertis ſuccurrere neceſſum ſit?
O cariorem magis, quàm felicem pannum!
(Exemplo illius dicebas)
Cuius ſi quis intimè penetraret onus
Ne humi quidem iacentem ſubleuaret!
Parum eſt ſuper Cathedram Moyſi ſedere,
Parum ſecundùm Ordinem promoueri,
Dilatare phylacteria ſua, & magnificare fimbrias parum!
Eheu miſera Conditio Paſtorum!
Si ſeipſos paſcant non Oues!
Nunquid non ſapientia clamitat,
Fili hominis, prophetiza ſuper Paſtores Iſraël. Ezech. c. 34.
Paſtores illi! Boni Paſtores illi?
Sed ſuis, illa; Polonia fatis indignum putat.
Quod nomine pollicebaris Poſnania,
Re vera iam præſtitum tene:
Vbi Regnum Diadema ſuum. Bielſcius in Hiſt.
Ibi Tu ſacrorum Tiaram, cognoſcis in primitias Virtuti faſtigiari.
Ergo gaude Paſtor, gaudete Oues,
Ecce Euangelium in Charitate ſeruienti D. Auguſt.
Neceſsitas ſuſtentationis à populo parua

Merces diſpenſationis á Domino copioſa parata eſt
Iam PRINCEPS Tibi Templa, Tibi Cathedræ, Tibi Altaria,
Olim à Te ornata, in Sancta Sanctorum,
Et nunc in Tabernaculum Honoris Tui occurrunt.
OHE perficiant vt cæperunt
Nos in obuiam paulisper Oratione ſubſiſtere iuſsâ
Mediabimus Parnaſsidæ.

IBis Io Princeps Fatis comitatus, vtique
Emeritis quæſite Talentis:
Secula Te nutriunt, Genus alto à ſanguine Teucri;
Jpſe Tibi, hoc promiſit Apollo.
O placitum Muſis Caput! ô Dux Sole ſub omni
Omnigenis quærende Pòëtis!
Quidni Pegaſeo L' Jtalus huc hoſpes ab oris
Deſcendes vt ab axe volatu!
Currite Lechiadæ, tantæ præconia laudis,
Jn Pogonia percurrite viſu.
Ni ſua vox hominem ſonet hæc (mirabile dictu)
Cælitibus data templa patemus!
Quis fauor ô Diui? Caſuſnè Deuſnè còëgit
Ad noſtros reuidere Penates!
Non benè mortales, Cæleſtia Numina, nôrûnt
Mortali comprêndere tecto.
Sed benè poſteritas, votis penſabit Auitis,
Deſertæ magnalia Terræ:
J PRINCEPS, i quo Virtus iubet, i pede fauſto:
Omne ſolum ſit Patria Diuis.

VIII.
IN REGNO LIBERTATIS.

Fortunam quidni ſibi fabricet Princeps Comitem
Qui Virtutem iam effinxit Ducem!
Aliorum hæc fuerit infelix Felicitas
Fortunam reuerenter lenocinijs demereri, & palpo inuitare
Princeps Noſter ita Naturá factus erit

Vt eam

Vteam ſola Dignitatis vi cogat ſibi ſeruire,
Verus ſuæ Fortunæ Architectus.

Cæca olim Dea!

Cui Caſus, noſter germanus, oculos, vltra velamen eruebat,
Vbi Principis, ſanctis Moribus, ancillari non erubuit:
Quia ductu eius regebatur,
Vellet nollet, debuit oculos recuperare.
Quænam (proh Diuum hominumq; fidem) quænam hæc
Aulicis hyrundinibus chelydonia, hoc ſeculo, reperta,
Quæ vel ex priuatione ad habitum regredi facit!
Et priuatis ſolando Publicam Cæcitatem luminibus;
Citra periculum Illuſtritatis cuiuſuis
Vt Clementiſsimo Euffragiæ ſuffragio fomētauit Regnum!
Abſtulit hanc tandem Culpam Polonia,
Abſoluitque Deos Improuidentiæ,
Qui male conſulere Rebus Humanis videbantur
Dum præmia Honorum, in ſolidum, ſolis virtutibus debita
Caſu cæco! an auſu, peculatus diripiebantur?
Quid? nondumnè Iupiter
Satis Cæcitatem Pluto exprobrauit & correxit?
Dum eum in Orbe Terrarum graſſantem
Sceptro orbauit, viſu, & Solio?
Iterum Numen aliquod aberit, & ſi ſit Prudentia?
Licet funeſta nondum Templis habites
Et genus & formam & ſpeciem Moneta donabis!
Sed quid opus teneris Vero auriculis?
Inuitârint Fortunam aliqui obſequijs, aliqui precibus,
Alijs alij officijs hactenus,
Sapiens, nunc, ſolis Virtutibus mundum mercatur;
Animum non Arcam diuitem præſentat,
Mereri confiſus, ambire non dignatur.

Regnum Sapientiæ.

Quod &, ab Altiſsimi ore prodiens; dixit & facta ſunt omnia
Cum ſeipſo contentum ſit,
Cumque ad beatè viuendum, ex ſe petat omnia,
Et cur Themydi Diſtributiuæ

Ambitum afferat pro Meritis,
Ni Nemesim, prouocare velit! non videmus.

Alludamus ergo canenti Senecæ.

Credat hoc quisquam! generosus ardor
Principis, pulsos procul vsq; Thulen
Author exemplo, reuocat Polona in
Compita mores?
Sic fides & Fas redeunt! procaci
Publicæ pestes pede contremiscunt!
Jam salus Regni pedetentim ab ipsis
Incipit astris.
Quis Deus fecit? modo Russiarum
Arma seruili crepuêre bello
Et leues frænis fremuêre Turmæ
Hac duce Causâ:
Ira, mox magnis agitata Causis,
Gratiam rupit, cecinitq; bellum,
Trusit hos, illos, furibundus icto
Sanguine Mauors.
Quem dies vidit fugiens Superbum,
Hunc dies vidit veniens iacentem!
Nemo sic Diuam tenuit fauentem,
Quam fore dixit.
Ergo Fortunæ procul ô Fauores!
Nulla vis maior, Pietate verâ est,
Illa, quos vere tenuit, tenebit
Omne per æuum.
Vos, quibus Rector maris, atq; Terræ,
Jus dedit magnum, necis atq; vitæ
Omne sub Regno grauiore Regnum
Credite poni.
Ille qui donat Diadema fronti.
Ille permutat Deus, ima summis.
Aequitas huius venientis ore
En iudicat Orbem.

AGITE

IX.
AGITE ERGO.
Aperite Portas, Turres Posnaniæ; Vestras.
Primas Virtutum suarum PRINCEPS
Mansuetus, Pacificus, Hierarchicus,
Iam iam ingressurus appropinquat.
Murus aheneus hucusquè fueris Poloniæ
O Vrbs Beata!
Ne metue ruinam, dum Amphionem suscipis;
Ad sonitum eius, vel aurita reptare saxa cognosces;
Vt ædificeris.
Quanquam bono omine Claues præsentas præ foribus:
Si Tuus Petrus, à Cathedra, sua Tibi insignia dedit
An non hunc quoque intra Lares suscipis Ducem?
Qui Potestatis Clauium Ordinarius
Cælos aperit, & claudit inferos Tibi,
Modo iam ipsa Volueris!
Et Tu ACADEMIA adaperire Auita, Auito,
Patrono Tuo, Patrueli Iagellonico
PRINCIPI, PASTORI, DOCTORI,
Cui tàm propè Cathedram appropinquasti
Vt in partem ministerij, huius à Cathedra
Vocata esse videaris!
Et ô Diui Manes! ô Tutelares sui!
Quid nunc repentinus fert tumultus?
Quæ ab Aquilone discors malitiarum malacia?
Quæ Ara contra Aram plantatur?
Quæ Cathedra Cathedras supplantat?
Nisi fortè illa Pestilentiæ?
Quam qui in lege Domini meditabitur die ac nocte
Ex ruinis Ecclesiæ, execrabitur ædificari!
Quod si hanc Fortunam vana superstitio fingit

Quam & Occasionem putat esse Empyricam;
Num per Ædem Discordiæ
Veniens tanti veneat Tranquillitas
Quam fronte capillata, & post Occasio calua ostentat!
Nil opus Oraculis, & Tempore rerum interprete:
Pridem hanc Petrus á Cathedra expunxit
Et PAVLVS RomanVs
Nouitatem gliscentem vt vt antiquatam
Quæ plùs in Ecclesia dissensionis, quàm ædificationis pariebat,
Vaticinio ad multa respiciens Vaticanus
Ne reuiuisceret, pridem sepeliendam, decreuit,
Vt quid recidiuans Malum in spem assurget?
Sed experiri voluit
Deus aliquis Pacis & non Belli
Zelotem Te pro Domo Dei Tui zelantem
Qui in primordijs Pasturæ Tuæ
Obiecit Tibi hanc rudem indigestamque materiam.
Vt informes deformem
En occurrit Tibi Prædecessor Tuus
PETRVS WYSZ
Quem ab Episcopa Cracouiensi Sanctum Pastorem
Ab ACADEMIA primum Canonistam
Rapax Harpyiarum deiecit Ambitio. Dlugoss. ibid.
Dolente Concilio, credo, sed plaudentibus Fatis
Vt Iagellone Auditore dignus Professor Cracouiæ
Posnaniæ etiam Musagetem illum videret
Pro Musis quondam suis, in die mortis, Deprecatorem!
Occurrent alij Antecessores sui
LASKARES, LVBRANSCII, GOSLICCII,
ROZRAZEVII, OPALINSCII, ŁVBINII, NOWO-
DWORSCII
Et nouissimi SZOŁDRSCII
Prima & vltimâ voluntate suâ
Tutelæ Tuæ resignantes Coloniam hanc pupillam:
Protegas eam, cuius Matrem nuper Cracouiæ subleuasti.
Nos

Nos à Casu Inuidiæ,
Fortiorem sperantes consistentiæ, statum,
Venturi Æui auspicamur felicitatem.

ERgò ruentis Palladij timor
Exesto tandem! Cede procul timor,
Non vana, venturi, Sacerdos,
Judicio meliore vobis,
Oracla pando: Pierides Ohe
Adferiantes, cominus areas,
Adeste, & immensùm canentes
Chære Duci, geminate vestro.
Audimur! ô qui supplice personant,
Jn vota plectro? qui gemino sonant
Ex amne fontes? Pænè Varta
Jstuleo sociata nexu
Ad Hyppocrenes gaudia prouide
Applausit vltrò, cominùs, eminùs!
Sic sic verecundæ videri
Vota suis recreando votis
Dixêre, Viuat. Quo Duce Viuimus
Jo salubres, Viuat, Jo, dies,
Jo quietos, Io festos,
Nestoreos, Io, Viuat Annos
O Floriani dulce supercilî
Leuamen! ô quæ gaza Fauonij
Aspirat! ô portus petentûm!
Sollicitæ statio æqua cymbæ!
Viuat, Polonas Culmen ad Infulas,
Regalis Actor Viuat originis,
Viuat, ter edictum, ter Echo,
Ter, resoni petiêre fluctus.
Vernantis Aeui florea secula
Adusq́, Maij inuidiam pluunt!
Gaudete Vates, Cyrrha gaude
Ecce pluit Casimirus Axe.

X.

ET IAM BONVM CERTAMEN CERTARE.

Iam Curſum conſummare Tempus erit.

Illuſtriſsime PRINCEPS.

Ingredere iam diu Te præſtolantem Sedem
Ingredere Benedicte Domini, in Sancta,
Per amplius, & perfectius Tabernaculum,
Non manu cuiuſuis factum, neq; huius Creationis, nec per ſanguinem.
Vt ſine ſanguine, Ouium, offeras Sacrificium pro Peccatis.

Et Tu Generoſi Ordinis Flos,

Campus Nobilitatis verè Martius
Oues paſcuæ eius, egredimini & videte?
Quæ non ſtabit Eccleſia firmata Columnâ Veritatis!
Parentelatum ex Sanguinibus Tuis
Vt ex Voluntate Carnis, caue ambias;
Pontifex aſsiſtens futurorum Bonorum.

Melchiſedech Tuus,

Rex Salem, Rex Iuſtitiæ, ſine huius Terræ Genealogia
Aſsimilatus Filio Dei, ſit:

Vt Mediator Dei, & Hominum

Pro Hominibus, conſtituatur in his, quæ ſunt ad Deum.

Glorieris Poſnania

Te cum Fde & Regno ſimul
Natam è Catholicis Fundatoribus fuiſſe,
Primipila Dei Exercituum, & Terribilis;

Hoſtibus Tuis, & inimicis Crucis fueris!

Age, contra Spiritualia Nequitiæ in Cæleſtibus
Poſcit opem res & Coniurat amicè,
Induere ſcutum fidei, & Galeam ſpem ſalutis,

Mars & arma vocant.

Ecce verò, qui armabit Manus Tuas, ad præliũ Ducẽ habebis.

Et Ami-

Et Amicum Tibi ad Aras Vides!
Comitare Principem, in Caput Anguli Ecclesiæ Tuæ, Personent Litui, Explicentur Signa, Aquila Tua euolet super æthera. Quam de propinquo Nido Palatinatus Tui, Reginam Auium, nondum Regnantem acceperas, euolet ad Custodem Ouium Regnatura, Appropinquat ei Corona Iustitiæ, quam reddet ei Iustus Tuus, Certans semper ad Triumphum. Episcopus & Senator; pro Aris & pro Focis.



Impensis ex Fundatione perpetua Generosi olim
DD. BARTHOLOMÆI NOWODWORSKI.
Equitis Melitensis. Ord. S. IOANNIS BAPTISTÆ Hierosolymitani. S. R. M. Aulici, & Rot Magistri Commendatoris Posnañ. excusis.